PHILOSOPHIÆ
SPECIMEN.

PROFESSORIBUS A TERTIO ARGUENDI JURE ELARGITO.



NEAPOLI MDCCCXL

EX TYPOGRAPHIA PACIANA

Cum Approbatione.

ADMODUM. REVERENDO. PATRI

CHERUBINO . A . FORICIO

LECTORI . JUBILATO

NEAPOLIS . TERRÆ . QUE . LABORIS . PROVINCIAM

PRUDENTIA . ATQUE . DEXTERITATE . SUMMA

ADMINISTRANTI

VIRO

IN . NEGOTIIS . MAXIME . IMPLEXIS . EXPEDIUNDIS

SOLERTISSIMO

STUDIOSÆ . JUVENTUTIS

PATRONO . SINGULARI

VIRIS . PRÆCLARISSIMIS

REVERENDISSIMO . SPECIATIM . PATRI

JOSEPH . MARIAE . AB . ALEXANDRIA

TOTIUS . ORDINIS . DIVI . FRANCISCI

MINISTRO . GENERALI

FAMILIALITER . JUNCTO

QUOI

HÆC . EX . UNIVERSA . PHILOSOPHIA . THEMATA

QUÆ . PROPALAM . PROPUGNANDA . ASSUMIT

PERENNIS . AMORIS . ANIMI . QUE . OBSEQUENTIS . ERGO

F . JOSEPHUS . A . CARENO

OBSERV· PROV. VALLIS . MAZARIÆ . ALUMNUS

ATQUE , IN . HOC . NEAPOLIT. S. SEVERI . MAJORIS . ATHENÆO

PHILOSOPHIÆ . AUDITOR

CORDE . HUMILLIMO . FLAGRANTISSIMO . QUE . AFFECTU

SACRAT

Philosophia obiter libata a Deo abducit ; penitus hausta reducit ad eumdem.

Verul. de augm. scient. §. 1. p. 10.

THEMATA

EX

UNIVERSA PHILOSOPHIA

EX LOGICA.

I.

Veritatem quamvis crassis involutam, circumfusam tenebrisque; praelucente tamen aliquo signo reperiri a mortalibus posse defendimus contra Scepticos, Pyrronicos, Akatalepticos, aliosque hujus furfuris homines.

II.

Hoc autem signum criterium a Philosophis nuncupatum, omnem ab intellectu propellens erroris metum, illumque reddens de veritate securum, una est evidentia. Evidentia igitur est veritatis criterium.

III.

Et quidem pro veritatibus intelligibilibus dijudicandis, evidentia metaphysica; pro sensibilibus, evidentia physica; pro moralibus demum, evidentia moralis.

IV.

Ex observatis autem, et cognitis saepe saepius ad non observata, et incognita transimus, aliasque propter similitudinem deducimus conclusiones: quod sane praebet Analogia. Quocirca ponimus, Analogiam plurimis in circumstantiis esse motivum certum judicandi.

EX ONTOLOGIA.

V.

Nobilissima isthaec Metaphysicae pars principia praebet, quibus veritates veluti super firmissimo nituntur fundamento. Illud ergo Aristotelis : *Non potest idem simul esse, et non esse*, pro veritatum necessariarum principio constituimus.

VI.

Ex praejacto contradictionis principio prono fluit alveo illud veritatum contingentium : *Nihil est*, *vel esse potest sine ratione sufficienti.*

VII.

Praeter vero objectivam, subjectiva quoque in caussis liberis suarum determinationum ratio sufficiens reperiri defendimus.

VIII.

Quibus causis liberis, humanis nempe mentibus vim mere activam omnino competere demonstramus.

EX COSMOLOGIA.

IX.

Adspectabilem hanc rerum universitatem, quam mundum appellamus, aeternam haud esse contendimus adversus Aristotelem, Xenocratem, Pytaghoram, eorumque gregales.

X.

Si ergo haec rerum universitas aeterna non est, nec a se existere asserendum. Igitur causam, a qua existentiam habuerit, admittamus oportet, quam ens a se existens fuisse tuemur.

XI.

Mundus hic, quem incolimus non ex praeexistenti materia, sed ex nihilo fuit a Deo in tempore productus.

XII.

Quoniam mundus, propter admirabilem, quem in ipso observamus ordinem, ab ente intelligentissimo creari debuit; cumque omne agens intelligens propter finem agat; innotescit Deum in hujusce mundi molitione aliquem sibi praestituere debuisse finem.

XIII.

Deus igitur hanc rerum universitatem effecit uti medium aptissimum ad istum consequendum finem; cumque Deus sit Sapientissimus, atque Omnipotens, liquet ad hujus finis consecutionem mundum conspirare affatim, proindeque perfectissimum esse perfectione finis.

XIV.

Cum tamen asserimus mundum esse suo in genere perfectum, nequaquam ita perfectum, ut nec melior, nec perfectior ipso evadere queat, dicimus. Ergo Leybnitiana, Wolfiana, et Malebranchiana ruit opinio, utpote quae Dei potentiam limitibus obstringit.

XV.

In legibus demum, quas Deus in rerum molitione

praescripsit, dari quidem potest exceptio; idcirco adversus Spinozam, Hobbesium, Lockium, aliosque pestiferos hujus farinae homines, miracula possibilia esse toto defendimus conatu.

EX PSYCHOLOGIA.

XVI.

Animam humanam esse veram, proprieque dictam substantiam ex eo dignoscitur, quod multas elicit operationes, quae cum sint accidentia, sine substantia, cui inhaereant, ut existant, nullatenus esse queunt.

XVII.

Et quoniam homo cogitat, judicat, ratiocinatur, volitiones, nolitionesque exerit, apertissime colligitur animam revera in eo existere.

XVIII.

Posita animae humanae existentia. ejus naturam inquirimus, armaque in Materialistas vertentes, intrepide sustinemus illam nullis permixtam esse corporeis partibus, spiritualique praeditam natura.

XIX

Hac posita diversa animae, corporisque natura sequitur utriusque substantiae diversam esse originem. Hinc cum corpus per generationem producitur: anima non alia ratione ortum habere potest, nisi per creationem.

XX.

Creatio autem cum sit actio soli Deo competens: invicte tuemur animam humanam a Deo immediate creari.

XXI.

Cumque ipsa sit ad corpus informandum destinata, recte concludimus non prius eam habere existentiam, quam corpus vitales paragendi functiones sit capax.

XXII.

Ruit igitur doctrina Socratica, et Platonica, quae animas a Deo in mundi exordio creatas fuisse, ac in astris locatas, impudenter asserit.

XXIII.

Ergo animae humanae spiritualitate vindicata, prono sequitur alveo, ipsam natura sua esse immortalem.

XXIV.

Verum ex quo anima humana, sublata Dei voluntate, per quam existit redigeretur in nihilum, dicimus, eam esse etiam ab extrinseco immortalem, idest dissoluto corpore semper viventem a Deo servari.

XXV.

Quaenam autem est animae humanae essentia? dissident philosophi: ipsi enim multa de ea scripsere, sed eorum nullus veritati accessit. Realem ergo illius essentiam nobis esse incompertam nemo non perspicit: nihilosecius nominalem ejus essentiam in his reponi posse proprietatibus dicimus, quod sit 1.° substantia spiritualis; 2.° creata, vi cogitandi praedita, ac libertate donata; 3.° regendo corpori destinata.

XXVI.

Sed cogitationis elementa sunt ideae, easque sibi immediate, vel mediate efformat anima sensuum ministerio.

Quocirca contra Leibnitium, Wolfium, et Malebranchium ideas innatas haud admittendas esse statuimus.

XXVII.

Animae humanae origine explicata, operae praetium perpendere ejusdem cum corpore commercium ducimus: et imprimis adversus Malebranchium adstruimus causarum occasionalium systema non posse a viro philosopho assumi ad explicandum animam inter ac corpus commercium.

XXVIII.

Neque harmoniae praestabilitae Systema aptum esse ad hoc explicandum commercium sustinemus, contra Leibnitium, et Wolfium ejusdem systematis inventores.

XXIX.

Sed cum anima, et corpus arctissimo vinculo inter se jungantur, dicimus Systema influxus physici aptius prae caeteris esse ad animae, corporisque commercium explicandum.

XXX.

Ut autem Hobbesio, et Collinsio animam in suis eliciendis actionibus a corpore prorsus pendere asserentibus, os occludamus, toto marte defendimus eam libertate gaudere indifferentiae.

XXXI.

Porro licet ex dictis innotescat animam corpus revera informare, in quonam tamen corporis parte sit, magnum est inter philosophos dissidium. Nos vero in solo cerebro ejus sedem statuimus.

EX THEOLOGIA NATURALI.

XXXII.

Dei existentiam astruere nos cogit detestanda perversitas quorumdam hominum, qui ut cupiditatibus liberius indulgeant, in insipienti corde suo exclamare non erubescunt: *Non est Deus* (*ps.* 13. 1.). Quocirca adversus hanc perditam Atheorum colluviem, ex triplici ordine desumimus argumenta, existentiam Dei astruentia, nempe ex ordine metaphysico, physico, et morali.

XXXIII.

Deum autem esse ens a se, necessarium, supremum, summeque perfectum dicimus.

XXXIV.

Ergo principium summe malum, caussamque malorum maximam involvere contradictionem totis viribus propugnamus.

XXXV.

Licet autem adsint, quae in hoc mundo experimur, mala; tamen malorum permissionem nihil infinitae Dei bonitati derogare tuemur.

XXXVI.

Cum vero totus orbis, omniaque in eo entia a Deo essentialiter dependeant; Deum ad omnes omnino rerum creatarum actiones immediate immediatione suppositi concurrere defendimus.

XXXVII.

Specialem porro Providentiam erga entia intellecto, et voluntate praedita dari in Deo adversus eos, qui Atheismo nomen dederunt, omnesque Pantheistas, et Fatalistas impavide asserimus.

XXXVIII.

Fatum igitur Paganorum, fatum Mahumedanum, Stoicum, Democriticum, Astrologicum, et Pantheisticum tamquam impia, monstrosa, absurdaque respuimus.

EX PHYSICA GENERALI.

XXXIX.

Corpus naturale est Physicae objectum. Cumque mediantibus quinque sensibus nostris varias experiamur sensationes, quas ad externa objecta referimus: hinc adversus Idealistas factis confitentes, licet verbis negare contendant, dicimus infallibiliter existere corpora.

XL.

Cum autem nobis realis corporum essentia sit incomperta, eorumdem tamen qualitates prorsus non latent. Quocirca corpus, et extensione, et impenetrabilitate facile percipi ponimus.

XLI.

Adscribendam esse corporibus omnibus gravitatem terrestrem nemo non videt: quippe nos eadem aspicientes versus telluris superficiem, licet ab aliqua vi extima non coactentur, descendere; internam, absolutamq: gravitatem corporibus tribuere impellimur.

278.

XLII.

Elasticitatem inter vires, quae corporibus omnibus communes existimantur, unanimiter assignant Physici: nam nullum perfecte durum, nec perfecte molle, in rerum universitate corpus existere demonstratur.

EX ETHICA.

XLIII.

Ethica, seu morum scientia pro objecto actus humanos ad bonum dirigendos habet. Ut autem actus humanos ad honestatem dirigamus, mox ultimum creaturae rationalis finem, nempe Deum prae oculis habendum esse asserimus.

XLIV.

Ut vero nostros ad honestatis regulas conformemus mores: legis naturalis existentia egemus, obligatione scilicet faciendi bonum, malumq: vitandi. Quare strictissime nobis Deum praecipere posse, ut bonum faciamus, ac fugiamus malum, ut inconcussum ponimus.

XLV.

Cumq: homo sit ad societatem destinatus, non est necesse, ut unusquisque totam legem naturalem in se descriptam propriis viribus detegat; sed sufficit, ut omnes vel per se, vel aliis docentibus, praecepta ejus percipere valeant. Hinc legem naturalem sufficienter promulgari per conscientiam ostendimus.

XLVI.

Ab hac naturali lege caeterae omnes positivae, sive

divinae, sive humanae; sive ecclesiasticae, sive civiles descendunt, quae ut obligent, debent esse promulgatae.

XLVII.

Et quia omnis superior leges instituens earum executioni providere debet, foret alioquin insanus: neque hunc finem assequi potest, nisi praemia obtemperantibus, poenasque parere nolentibus decernendo; ideo post praesentem, altera extitura est vita beata, vel misera, secundum uniuscujusque opera.

XLVIII.

Ergo repugnare poenarum aeternitatem in altera vita demonstrare non possunt increduli.

XLIX.

Religio naturalis est complexio officiorum nostrorum erga Deum, quae omnia sola ratione deprehendi difficillime possunt. Ex hoc igitur adversus incredulos concludimus, solam rationem in religionis negotio homini sufficere haud posse.

L.

Unde nemo in sola religione naturali conquiescere, et ab examinanda revelationis existentia abstinere potest.

LI.

Igitur in religionis negotio indifferentia procul rejicienda est.